



*Primata*

1610

B2  
231





I  
I. Or  
bra  
gü  
stü  
II. Or  
con  
zu  
III. Cl  
IV. Her  
gü  
V. In  
VI. Her  
m  
VII. Or  
ci  
VIII. A  
IX. L  
X. M  
XI. T  
XII. L  
XIII. O  
XIV. C  
XV. T  
XVI.  
XVII.  
XVIII.





54. LV.  
58  
C A R M I N A  
Nuptijs

PAULI HELVVICHII  
HOHENSTEINENSIS,  
Civis & Bibliopolæ VViteber-  
gensis honestissimi,  
CUM  
*Pudicissima Virgine*  
MARIA, FILIA PHILIP-  
PI OLEARII, civis ibidem  
*integerrimi;*

Calendis Novemb, Anno 1608.  
celebratis,

*Dicata à Fautoribus, Amicis &  
Popularibus.*

*VVitebergæ, Typis Cratonianisper  
Johan. Gorman.*

56.



11. 11.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

*[Faint, illegible text on the right edge of the page, possibly from an adjacent page]*







Ic est; Qui satur est, exiguum deæ  
Haut curat Celenæ ipse cupidinem;  
Arens quemq; sitis nulla premit, sua  
Hic jejunia prædicat.

Sic est: Quisquis amori & thalamo suo  
Univit sociam; huic frigora plantulas

Non findunt teneras aspera; visa nec  
Terrent spectrave turbida.

At nunc Helv vigius, sava cui manus  
Mentis Ocypetes surripuit dapes  
Cunctas splendidulis; atque Timoniæ;  
Vovit mæstitiæ torum;

Callet ritè, sui cognita dum cibi  
Blandimenta movent, Gnosiaci sitis  
Invitat què meri, iam dapibus sua  
Quod jejunia comprimit.

Callet ritè, tori quod sociâ sibi  
Unitâ, viduas Cypridis & joco  
Per vitam vacuas ulterius cavet  
Noctes ducere cœlibem.

Quare eius dapibus splendidioribus,  
Queis mensas reficit languidulas, piæ &  
Quâ lectum, sociæ, haut immeritò bona  
Despondebimus omnia.

*M. Joannes Zeigerus  
Henichensis Saxo.*

*A 2*

*Con-*



**C**ontractâ primo culpâ sub limine vitæ,  
Eheu, in mundi climata lata vagi,  
O mors horrida protinus introducta fuisti.  
Atq; facis lecti tristia jura pij.  
Hoc certe expertus quoq; Paule tuo in thalamo olim,  
Ast verò; cur hæc vulnera cerno tua?  
Est Deus ille unus verè purissimus actus,  
Talia qui auspicia tristia lata facit.  
Cur habeas clausum vulnus sub pectore Paule?  
Nympham ad te cernis nonne venire tuam?  
Quæq; tui semper casto flagrabat amore,  
Iam venit in thalamos, Paule, Maria tuos,  
Obsecrò, quænam pulchrior inter & illa puellas?  
Sponsa tamen reliquis omnibus hercle tua.  
Cur Hymenæe faces, cur cætera munera cessant?  
Sume animi cultus, atq; Hymenæe veni.  
Ut nova præfenti connubia numine firmes,  
Sume tuas tædas, atq; Hymenæe veni.  
Gratulor ergò vobis, gratulor ex animoq;  
Incolu me ut vestrum connubium maneat.

M. Martinus Vogelius  
Zhanaviensis SS. Theol. stud.

**M**E, dilecte mihi, tua conjugalia, Sponse  
Festa velim coràm concelebrare rogas:  
Frustra est. Indoleo at, quod non datur implevisse  
Votum jungendi sanguinitate viri.  
Namque viæ prohibent, rerum status ipse reclamatur  
Nostrarum: brevitæ temporis atq; vetat.  
Hæc tibi me excusent; & nunc quæ acclamo tueri  
Absentis vellem vota precesque vicem.

Qui



Qui licitos, Deus, exercere jubes hymenæos  
Alme fave Nuptis pro bonitate novis:  
Atq; horum stabiles inspira sensibus ignes,  
Quæ varij extinguat nulla procella malî.  
Nubila si fuerint, nubes depelle, serenus  
Fulgeat ut sponsis rursus ab axe dies.  
Proliferum subeant lectum, largire; parentem  
Ut justo soboles tempore utrumq; vocet.

*Affinitatis ergo*  
Admodulabatur **Martinus**  
Beyer V Viteb: Scholæ Iesse-  
nensis moderator.

*A*spersa fors uti res incerto turbine versat,  
Et neq; constantem novit habere locum:  
Sic quoq; non raro fidis inimica maritis  
Vnanimi solvit corda ligata fide.  
Contigit hoc etiam quondam tibi SPONSE, prioris  
Dissolvit dum mors vincula conjugij.  
Sed DEVS haud gaudens viduatam ducere vitam:  
Iam rursus sociam jungit ab axe tibi.  
Pectora quæ dictis tua permulcebit amicis,  
In mœrore TIBI dulce levamen erit:  
Quin tristes pellet curas, mentemq; remittet  
Amplexu molli, colloquijsq; suis.  
Et non ergo tua simulat à mente jugali  
Iam grater tædæ, prospera quæq; precer?  
Autor connubij tua gaudia cœpta secundet,  
Corporis atq; animæ det bona cuncta, DEVS.  
Is quoq; te firmo conjungat fœdere, junctum  
Protegat, & longâ prosperitate beet.

A 2

Illius



*Illius auspicijs quoniam tibi ducitur uxor,  
Hinc dici felix cur merearis habes.*

Andreas Neander VValdenburgen-  
sis opt. art. Stud.

**Q**UOD vulgò dicunt; Splendet post nubila Phœbus:  
Id de te meritò dicere, Sponse, queo.  
Nam cum privarent charâ te conjugè fata,  
Nubila quis non hæc diceret imbrifera?  
At jam præteriêre; tibi dum chara vicissim  
M A R I A desertum dicitur in thalamum.  
Gaudeo id eventum, gratorq; Precorq; secundæ  
Ut vobis semper res in amore sient,  
Conjugij & fructus, Natos videatis, & inde  
Prognatos, Paucis hisce valete. Sat est.

*Christianus Cremerbergius Henio-  
chensis L. L. Stud.*

**M**ERX vulgo peregrina placet; Vicina probatur  
P A V L L E tibi; sentis rectius; ad stipulor.  
Optima causa subest; Semper propiora videmus  
Non tantùm; verùm novimus & melius.

Volcmarus Scribonius.

**S**PONTE quid ardescis? cur sic rubor ora colorat?  
An tibi quod vitam dat nova vita novam?  
Sed quid P A U L E novi? quæ permutatio vitæ?  
Quid & festum thalami fertur obire tuum.  
Siccine fata gerunt morem tibi? siccine amorem.  
Pro libitu renovant obsequiosa tuo?

Nuper



Nuper erat matrona tori charissima consors,  
Nunc lateri aptatur bella puella tuo.  
Macte: vir es, si fata tibi parere recusant  
Nulla, Venus ceptis & fovet alma tuis.  
Iure rubes ergò, meritò ardescisq; tuendo.  
Sponsa tibi vitam dat nova vita novam.  
Hoc est cum vita mortem mutare: Placens  
Conditio? risum quid premis ore, vir es;  
Macte: Sed & votum vobis superaddere fas est,  
Vestra ut fortunet fœdera sancta Deus.  
Gratulor: ut gaudet concentu musica miro,  
Vos inter sic sit consona vita duos,  
Musica dat dulces cantus, concordia fructus,  
Sic sponsa & sponso pignora cara feret.

*Paulus Mullerus  
V Viteb.*

**I**n crinibus diu subis  
Dum rursus thalami fœdera; Particeps  
Telluris patriæ mee;  
De cœlo veniens castus agit calor  
In te, qui patitur duos  
Vri flexanimis cominus ignibus:  
Iungi & legitimo iugo  
Quos irrupta iuvat copula; nec potis  
Divelli querimonij  
Supremâ citius fixus amor die.  
Fas est; carminibus potens  
Numen cum reliquis flectere civibus,  
Vt te nupta beet novâ,  
Proventu gravidi palmitis, undiq;

*Vmbra*



*Umbra instar viridi domum  
Cingentis: DOMINI dextera prosperet  
Res mercesq; tuas: Amet  
Semper te bona pax: tristis Eris vacet:  
Annis annumeres senis  
Quò tempus Pylis, & conjugis sospite  
Prolis fronte hilari tua  
Ex longâ adspicias stirpe propaginem.*

Paulus Hornigius  
Cygnæus

**P**Laude venus: fortuna tibi pessundare dudum  
Atq; adeò voluit quem dare scœva neci.  
Rursum surgit humo vidui de pulvere strati,  
Iamq; potestati redditur, ille tuæ.  
Paule, accedit hyems, æstatis tempora cedunt;  
Sed non æstus abit pectore, Paule, tuo.  
Imò æstus te major adit, totumq; perurit,  
Vt nunc æstatis tempus adesse putes.  
Sed quæ causa, rogas? Soror. Illa potentibus ardet  
Flammis, hic ignis membra dolere facit.  
O animi fœlix impressio, tantus ubi æstus  
Cor subit, æstivum tempus ut esse putes.  
Omnis amor sanctus si puros suscitât ignes;  
At si non puros; improbus omnis amor.  
Ergo animo certam spem concipe, præmia amoris  
Esse tuo auspicijs certa parata DEI.  
Munera quot mentis nomen complectitur unum,  
Una tot Helvvigij munera sponsa gerat.

CHRI-



CHRISTE, fave votis, & vos pia fata favete;  
Da, Chrulte, & sancto pignora sancta toro.

*Philippus Olearius Witeberg.*

Votum  
*Gratulatorium.*

**C**onjugium laudent, Sponse dent munera laudum,  
Est quibus Aoniis fertile pectus aquis.

Sufficit inculco gratari carmine tedis,  
Cui facilem venam doctus Apollo negat.

Ergo tibi ex animo grator nova gaudia Sponse,  
Gratulor & thalamum Sponsa pudica tibi.

Æterno Mystes nexu vos copulet ambos:  
Fœdera legitimi sint rata vestra tori.

Cedat ERIS, succedat EROS; PAX ambiat ambos;  
Ne fiant TED, Etædia, clamor AMOR,

Vivite felices, sinceri, Vivite sani,  
Et pulcrâ Vestram prole polite domum.

Ne floris antiqui vivas tu secula, Sponse:  
Tuq; Sibyllinos, Sponsa MARIA, dies

Hac faxit primus tedarum fautor & autor:  
Mittat & in vestram prospera quaq; domum.

Honoris & boni ominis ergo vovebat  
*Valentinus Oecelius Anhaltinus.*

**Q**uod tibi nunc jungis tedarum jure MARIAM,  
Idaliæ similem membra decora Deæ

HELVVICHII laudo: Quid laudo? immò insuper addo  
Vota, levi nunquam diripiendâ Noto:

HELVVICHII nullus conturbet amaror amorem,  
Sint procul Almodi tela inimica feri:

Det Deus ut longos vivas Phœnicis in annos  
Impediant cursus fata nec ulla tuos.

*Ioannes Pollandus Ratiss. Phil. & LL. Stud.*



**S** Imecum reputo vitæ genus omne caduce,  
 Conjugio video sanctius esse nihil:  
 Autorem specto? Deus optimus auctor amoris  
 Exstitit, & liciti fautor amoris adest.  
 Hic homines jungit, junctis benedicit, & idem  
 In casto ut conjux vivat amore, facit.  
 Intueor finem? genus, en! mortale perennat.  
 Atq; facit laudes amplificare DEI,  
 Ergo nil tædis cum sit præclarius unquam,  
 Nil magè quod placeat ter geminoq; Deo,  
 Approbo, quod thalami vidui pertæsus, amore  
 Iam renovas liciti fœdera casta tori,  
 Et tibi sincerâ jungis pietate puellam.  
 Te dignam, & claram laude pudicitia:  
 Huic facies culta est, huic membra sequentia culta,  
 Huic mens sub culto pectore culta sedet.  
 Hanc quoq; SPONSE, tibi grator; Deus annuat, isthac  
 Anno transactò mater ut esse queat:  
 Jungite propitio, duo corcula, jungite dextras,  
 Numine: ferte solo germina, ferte polo:  
 Vivite concordēs, felices vivite, vestro  
 Absit Eris thalamo, nec rāmen absit Eros  
 Fortunet thalamum & tua vota secunda secundet  
 Optimus opto tori pronubus, ipse Deus.

Andreas Mejerus  
 Glaucensis Misnicus.

**U**T Pater altitonans EVAM conjunxit ADAMO,  
 Esset in hac vita dulce levamen ei:

Sic



Sic ô HELVVICHI, celebris vir PAULE, MARIA  
Iungitur à IOVA costa secunda tibi.  
Gratulor ergo novis, ô vir celeberrime, tædis,  
Eque faventi animo talia votaprecor,  
Adsit Eros thalamo vestro, mala at absit Erinnyis  
Sit cum pace torus, nec sine prole domus  
HELVVICHI Pylios traducas molliter annos  
Tu MARIA Euboicæ secula vatis agas.

*Nicolaus Pornmannus Cygneus Alum. Elect.*

URsi flebilibus modis  
Matrem hæctenus suavissimam,  
Quam nigræ truculentia  
Prædam sibi fecit necis.  
Sed jam splendidulo polo  
Æthon diem fert flammeus,  
Quo tersis lacrumis meis  
Hirquis, meum cor palpitat.  
Dulci lætitia piè.  
Nam jungitur puellula  
Nostro connubio Patri  
Stabili, dicatur & Dei.  
De nutu propria optimi.  
Vobis ego sed quid? Deum

Sup-



Supplex sollicito prece,  
Vestram secundet & torum,  
Et vobis bona plurima  
Velut penu det divite,  
Et pellat stygis arbitrum,  
Ne sit malo vestro toro.

*Joannes Heluvigius F.*





Be 231.

8<sup>v</sup>

9h.

ULB Halle 3  
002 690 756



5b.

VD77









